Q. B. V.

REPETITIO

& Synoptica tractatio Juris Feudalis

Quam

Deo Propitio

Autoritate

Nobiliſsimi in Celeberrima Leucorea Jctorum Ordinis

PRÆSIDE JCto

Nobiliſsimo & Excellentiſsimo

DN. HEINRICO COSELIO

de Pezlinovez. Anteceſſore Conſultiſsimo, Judicij provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ Aſ-ſeſſore graviſsimo

Præceptore ac patrono ſuo, ſummo animi cultu devenerando

publico Eruditorum examini ſiſtit

In Auditorio Jctorum

ad diem 16. Julij horis antemer.

SIGISMUNDUS Richter Radebergâ Miſnicus.

WITTEBERGÆ

Excudebat JOHANNES ROHNERUS Acad. Typogr.

Anno M. DC. LIII.

rent; Germani victores ſolebant ſubjugatis populis ſuas terras ſub feudali nexu relinquere, ipſi vero ſatis victoriâ contenti. 2. Amplio. Poſtea in turbato rerum ſtatu, multi qui allodij jure res ſuas proprias poſsidebant, ſolebant eas neceſsitate ita coacti potentionibus offerre, quas iterum ſub feudali obligatione recipiebant, ut hoc pacto defenſores invenirent. Uti hoc ex plurimis autoribus probatum dat *Nobiliſs. Dn. D. Struv in Acad. Jen. prof publ. præceptor meus ſemper mihi colendus in Synt. Feud. exerc. 1. §. 4.*

Th. 2. Poſtquam igitur Feudorum uſus paulatim irrepſit, quæ ſicut propriam à rebus allodialibus naturam habent, ita & controverſiæ ex circa feudum emergentes ad normam & regulas Juris civ. comm. commode decidi & componi non poterât, ſed neceſſe erat ad earum determinationem peculiaria jura introducere, ab objecto adæquato feudalia dicta. Quæ quamvis hodie literis ſint exarata, nihil tamen dubito ea, cum *Nobiliſs. Dn. D. Suevio, Acad. nunc Rectore Magnif. Præceptore meo & Patrono Magno. in Exerc. feud. 1. th. 4.* ad jus non ſcriptum ſeu conſuetudinarium accenſere. Forma juris feudalis, ejus vis ac autoritas conſiſtit in præſumpto conſenſu ac tacita approbatione Imperij Romani *Roſenth. de feud. c. 1. concl. 9.* Nec clericos ab obligatione hujus juris eximo, qui quamvis in perſonalibus multis privilegijs gaudeant, hîc tamen quando conſiderantur ut poſſeſſores & ob relationem, quam habent ad rem poſſeſſam feudalem, conditionis eorum ratio non habetur. *2. F. 40. §. 1. Dn. Suev. Exerc. 1. § 5. Roſenth. c. 1. concl. 9.* Quia vero jus feudale paucis regulis conſtet, negocia autem feudalia ſint quamplurima, imò natura adhuc ſemper novas edere formas deproperet, omnibus negotijs decidendis non eſt ſufficiens, ſed ſi quàdoque deficit, quod fit quando nulla ratione, conſequentiâ, ſimilitudine argumentum aliquod erui poteſt, tunc ad jus civ. & can. recurrimus. *Roſenth. c. 1. concl. 15.*

Th. 3. Feudum eſt dominium utile in re immobili à retinente dominium directum alicui benevolè conſtitutum, ita ut hic ad fidelitatem illi exhibendam ſit obligatus. *2. F. 23. inf.* Sicut in omni actu, ſic in hoc contractu feudali conſideranda occurrunt

ejus Eſſentia & naturalia   Ad Eſſentiam feudi pertinet 1. fidelitas. 2. *F. 3.* ad quam Vaſallus tenetur domino, & hic viciſsim vaſallo, quamvis non in pari gradu *2. F. 6. 2. F. 58.* 2. Quod feudum debeat eſſe jus in re immobili. *2. F. 1.* 3. Jus in re ita debet eſſe comparatum, ut proprietas maneat apud dominum concedentem, utile verò tranſeat ad Vaſallum. *2. F. 23.* Ad naturam feudi pertinet I. quod regulariter ſint ſervitia præſtanda. *2 F. 23* II. Quod tranſeant ad maſculos, quia per eos ſemper reſtauratur memoria familiæ atq; ſoli ſunt habiles ſervitia militaria obire. 3 Quod juramentum fidelitatis ſit præſtandum. *2. F. 3. in f.* Priora requiſita, quia ipſam feudi eſſentiam exprimunt, vi nullius pacti vel conventionis à feudo abeſſe poſſunt, ut maneat univeca feudi ſpecies, ſed ſi hoc fit, transmutatur & transformatur in aliud uſusfructu genus. *optimo arg. l. 80. §. 3. de contr. Empt. Dn. Struv. Exerc. 2. θ. 6.* Poſteriora, quia eſſentia feudi in illis non abſolvitur, ſed ſunt præter eſſentiam, poſſunt in Inveſtitura per pacta tolli & detrahi vel aliter atque aliter determinari, quo ipſo tamen etiam ipſa feudi natura afficitur, alteratur & irregularis fit. *Struv. d. l. θ 7.*

Th. 4. Ad cognitionem feudi omninò quoque pertinet conventio illa feudalis, quæ feudi conſtitutionem neceſſario præcedit, ut obligatio & præſtatio mutua, quæ inter dominum & Vaſallum intercedere debet, producatur. *1. F. 25.* Hæc conventio, quia habet ſpecificam contrahendi formam, quæ in eo conſiſtit, ut dominus promittat uſumfructum ſ. dominium utile, idq; ſolenni actu aſsignet, Vaſallus vero ſe ad fidei præſtationem devinciat, fit, ut in nudis placiti terminis non maneat, ſed tranſeat in contractum nominatum. Qui non demum ob cauſam, ſ. actualem ſervitiorum præſtationem, ut eſt indoles contractuum innominatorum, ſed propter intrinſecam vim atque energiam ad obligationem & actionem producendam efficax eſt *vid. l. 7. de pact.* diciturq; contractus feudalis. *Dn. D.* Hahn *obſerv. ad w. Weſ. p. 1. ad f. condict. ex Lege num. 5.* Quod nomen ipſi propter propriam contrahendi formam, exemplo cæterorum contr. nominatorum, facilè aſsignari potuit. Eſt contractus conſenſualis, quia ſolo conſenſu perficitur, adeo ut ſi fides à vaſallo ſit promiſsa, licet actu ipſo ſervitia nulla præſtita, do-

minus tamen ad rem feudalem tradendam teneatur, & ſi pœnitere velit, non audiatur. *Schrad p.3.c.2. Struv. Exerc. th.9.* Eſt præterea bonæ fidei *Duaren. de feud. c.19.* quoniam mutuas continet præſtationes *add. 2.F 6.58.*

Cap. II.
De Diviſionibus feudi.

Th. I. Inſigniores ſaltem feudi partitiones hic expedire animus eſt 1. Feuda alia ſunt propria alia Impropria. Illa quæ habent ſalvam feudi eſſentiam, ejusq; regularem naturam retinent. Die eines rechten Lehnguths eigenſchaffe haben. Hæc ſunt quando illis in ſuis naturalibus per pacta aliquid decerpitur, ut quando feudum conſtituitur in re mobili puta pecunia. Quamvis quidem non adſit adæquatum feudi ſubjectum, quod aptum ſit, in quo feudalis qualitas ſubſiſtat; Quia verò pecunia ſub conditione fidei præſtandæ conceditur, & per hoc requiſitum non in ſola conventione pendeat, ſed etiam à formali ratione feudi aliquid participet, quin feudum formetur, negandum non eſt, quamvis per pacta alteratum. *Struv. Exer.4.th.2* Huic aſſertioni accedit *Elect. Sax par.3 c.30.v.6.* Wen das geld. Declaratio autem in conventione, vel diſpoſitio in teſtamento, hanc vel illam pecuniam pro feudo haberi, non abſolvit feudi conſtitutionem, ſed tantùm eum effectum habet, ut actionem producat ex illa declaratione competentem; ſed inſuper requiritur, ut dominus feudi actu quodam, ut inveſtiturâ pecuniam in feudum transmutet, eique qualitatem feudalem applicet. *Kopp. dec. 9 18 num.21. Berl. p.3. concl.41. n. 15. & dec. 81.* Der Lehnsherr ſol dem gelde die art und eigenſchafft des erbes benehmen und es zu lehen verwandeln. *Vid. Dan. Moll. ad conſt. El. par.3. cõſt.30.*

Th. 2. Feudum aliud eſt fœmineum, aliud maſculinum. Deſumitur differentia à perſona ejus, quæ primitus acquiſivit. *2. F. 30. 2.F 50.* Refertur inter impropria feuda, quia contra communem ſucceſsionis regulam ad fœminas devolvitur. *Vid. D. Suev. exerc. 2. th.3.*

Th.3. Ra-

Th. 3. Ratione acquiſitionis Feudum dividitur in Vetus & novum. Uſus maximus eſt in ſucceſsione. Subdiviſionem in paternum & antiquum non agnoſco. Sicut & feudum illud novum eſt, quod ex pretio veteris feudi venditi eſt coemptum. *Schrad. p.2. c.3. n.57.* Alia ratio eſt feudi permutatione acquiſiti, illud enim aſſumit naturam feudi, quod permutationis contractu interveniente in alium fuit translatum. *Berl p.1. concl.13. n.10. Schrad. p.2. c.3. n.55.* Cæterum id monendum eſt, quod feudum in ſe novum, induere poſsit naturam veteris feudi Interveniente aliquo pacto, quæ conventio id operatur, ut feudo novo tribuatur qualitas & effectus, qui alias de feudo veteri prædicari poteſt. 2. *F. 18. 18.*

Th. 4. Ratione rerum, quæ in feudum dantur, Feudum aliud eſt Eccleſ. aliud ſeculare. Ergo fruſtra ij ſunt, qui hanc diviſionem vel in perſona concedentis vel acquirentis fundare volunt. *Dn. D. Suev. exerc. 2. th. 7.*

Th. 5. Ratione adjunctæ qualitatis Feudum aliud eſt Nobile Aliud ignobile. ſ. plejbeum. Hæc diviſio non ſumitur ab effectu, quaſi feudum in ſe & intrinſecâ ſuâ virtute immediatè nobilitet, ſed quòd res feudalis interveniat tanquam ſymbolum & medium, per quod nobilitas tacite confertur; Uti memini ſic explicaſſe *Excell. Dn. D. Struv. in juis prælect. ad Epit. Juris Feud. Dn. Carpz.* Totum negocium fundatur in voluntate concedentis, quando proficiſcitur ab eo, qui ſimul poteſtate eâ nobilitandi pollet. Terra enim ipſa apta non eſt, cui inhæreat nobilitas, tanquam in ſubjecto, cum ſit dignitas perſonalis in præmium virtutis collata. *Dn. D. Suev. exerc. 2. th 8.* Poteſt etiam feudum eo ſenſu regale vel nobile eſſe, cui jura & privilegia nobilium annexa ſunt eique inhærent. Diviſionem feudi in Ligium & non Ligium haud veram eſſe ſtatuo.

Th. 6. Feudum aliud eſt hæreditarium, aliud ex pacto & providentia. Fundamentum diviſionis ſumitur à diverſa ratione ſuccedendi. *Vult. 1. de Feud. c 8 n 25.* Illud eſt feudum improprium ſ irregulare, cui modus ſuccedendi civilis fuit applicatus. Hoc dicitur, quod in illo ex pacto ſeu contractu primi acquirentis & providentia ſ. proviſione juris feudalis ſucceſsio contingat.

gat. Intimè autem utriusq; differentias & effectus rimari, haud cum minimâ difficultate eſt conjunctum, uti eſt videre apud *Roſenth. c 2. concl.33 & H. Piſt.q.1.n.10.* Cùm vero in foro Sax. etiam in feudis hæreditarijs vi ſimultaneæ inveſtituræ atque proprio Jure ſuccedatur, ut, demonſtrat *Carpz.p. 2.c. 46. d.3.* hujus diviſionis utilitas haud magna eſſe videtur.

Th. 7. Ad feuda impropria non refero feudum Emptum, quamvis Dd. communiter diſſentiant. Non enim differentia hæc ſumitur ab intrinſecâ aliqua qualitate, ſed à modo per quem feudum conſtituitur; qui modus ſicut extra rem eſt, ita intimè naturam feudi non poteſt afficere & diverſam aliquam ſpeciem producere. Nec pretij interventus omnino naturam beneficij excludit, cum nihil ominus dominus Vaſallū in clientelam ſuam benevole recipere dici poſsit. *Dn. D. Struv. Exerc. 4. th. 15.*

Cap. III.
De Perſonis Feuda dantibus & accipientibus.

Th 1: Omnes qui alienandi poteſtatem habent, ſicuti res ſuas quocunque modo plenè, ita etiam per dationem in feudum, utile dominium, reſervato ſibi directo, in alium transferre poſſunt. *2 F 3.* Sive ſunt maſculi ſive fœminæ. *2 F 3. §.1.* Et cùm nullibi videam in perſona concedentis dignitatem vel eminentiorem conditionem requiri, quid obſtat, cur non & plebejo vel ruſtico hæc poteſtas infeudandi ſit aſſerenda. *Dn. D. Suev. Exerc. 3. th 6. Roſenth. c 3 concl.1. C* adeò ut Ruſtici tanquam Domini feudi, ratione rei in feudum datæ, aliquam notionem & Jurisdictionem conſuetudinariam adipiſcantur. *arg. 2. F. 55.*

Th 2. Filius familias peculium ſuum caſtrenſe, in quo patrem fam repræſentat, rectè in feudum concedit. *arg. Nov. 123. cap. 19.* Amplio: Quod hoc etiam procedat in peculio adventitio extraordinario, cùm enim filius fam. ejus plenam habeat proprietatem, nec perinde patrem in eo adminiſtratorem agnoſcat, vel ejus diſpoſitio circa proprietatem hujus peculii ad conſen-

ſen-

ſenſum patris ſit adſtricta, quid prohibet, quo minus filiusf. modo legitimam ætatem attigerit, id infeudare poſsit. *Nov. 117. c. 1. §. 1. Carpz. diſp. feud. 3. th. 9.* Alia eſt ratio peculij adventitij ordinarij. Quamvis enim ejus proprietas etiam ad filium ſpectet, quia vero pater in eo jus uſusfructus quæſitum habet, non poteſt filius per infeudationem patri præjudicium aliquod creare. *l. ult. §. 5. C. de Bonis qua liber. 2. F. 3.* Ceſsat etiam ratio diſpoſitionis in *Nov. 117. c. 1. §. 1.*

Th. 3. Pupillus & Minor, quibus propter conditionem præſentem, exercitium dominij ſuſpenſum eſt, res ſuas allodiales in feudum dare non poſſunt. *2. F. 3.* Infeudatio alienationem ſapit. *Roſenth. c. 4. concl. 10.* quam nec interveniente autoritate ſuorum curatorum expedire jura ſinunt, niſi robur judicialis decreti, cauſæq; cognitio accedat. *l. 1. ff. de rebus Eorum, qui ſub cura. t. t. de C. de prædijs & alijs rebus Minor* Ampl. 1. Etſi Minor curatorem non habeat, tamen non poteſt ſine decreto infeudare. *Uti, Dn. D. Struv. defendit. Exerc. 5. th. 4.* Amplio 2. Quod etiam obtinet, ſi res aliàs in feudari ſolita domino Minori aperiatur puta propter extinctam familiam Vaſalli, quod non poſsit de novo alteri in feudum dare; ſiquidem hoc caſu qualitas feudalis eſt extincta & res ad naturam allodij iterum redijt. *Roſenth. c. 3. concl. 10.* cujus alienatio ipſi prohibita. Interim non nego pupillos & Minores etiam ſine curatorum cõſenſu Inveſtiturarum renovationem facere poſſe, cum renovatio nullum gravamen, vel novum jus inferat, ſed prius ſaltem confirmat, multo minus hic actus aliquam alienationem involvit *Roſenth. c. 3. concl. 14. 2. F. 3.*

Th. 4. Dictum de perſonis dantibus. Acquirere feudum omnes poſſunt, Unde non obſtat ſacer ordo clericis, qui feuda nova rectè accipiunt. *2. F. 40. §. f. c. extransmiſſa. X. de foro cõp.* In feudo verò antiquo non ſuccedunt, vel ſi Laici fuerunt & feudum habuerunt poſtea clerici facti, id amittunt. *2. F. 26. §. clericus.* 2. Tenuior conditio ruſticis. *2. F. 3. Carpz. p. 3. cap. 28. d. 5.* Nec 3. ſequior ſexus fæminis *2. F. 3.* Nec 4. Infirmior ætas pupillis & Minoribus. Impuberes enim ac minores etiam ſine curatorum & tutorum conſenſu feuda acquirere poſſe verius,

B adeo

adeo ut & ipſorum conditioni nihil obſtet, ex eo contractu ad ſervitia in actu ſaltem primo firmiter obligari. *Arg. l.* 101 *de V. O. Borch. c.5.n.46.* Cùm verò in actu ſecundo ſervitia exercere inidonei ſint, neceſſe eſt, ut per tertium aliquem vel ſubſtitutum ea expediant 2 *F. 26. § ſi quis deceſſerit.* Juramentum fidelitatis non prius præſtare tenentur, usque ad firmitatem judicij pervenerint. *2. F 26. §. Minori.* & jurisjurandi religionem ipſi revereri ſciant. *Schulz. c 5 n.6.* Nec 4 arctior ſubjectio vel vinculum patriæ poteſtatis filijsfam *Schrad.p.4.c.3.n.7.* Qui adeo plenè feuda acquirunt, ut uſusfructus feudi, tanquam peculij caſtrenſis, vel quaſi, ad patrem nullo modo ſpectet *2. F.23 in fin.* Amplio. Etiamſi Dominus filiofam. ſervitia remiſerit Nec hoc caſu pater privilegio patr. ſuæ poteſtatis gaudere, inque feudo filij uſumfructum prætendere ullo modo poteſt.

Cap. IV.

De rebus, quæ in feudum dari poſſunt.

Th. I. Illæ res ſunt materia & adæquatum objectum feudi, quæ congruunt naturæ feudi Cùm enim ad naturam feudi requiratur, ut dominium directum maneat penes concedentem, utile vero ad Vaſallum tranſeat, *2. F. 23.* præſupponenda eſt talis res, quæ ſecundum conditionem ſuam ejusm. negocium recipiat. Hæc verô aptitudo omninò non reperitur in re mobili Sive ſumas pecuniam ſive alias res. Pecuniæ utilitas non alia conſtat, quàm ut ob characterem, quem habet publicâ autoritáte impreſſum, ſit quantitas, per quam cæteræ res fiant commenſurabiles. *H. Grot. l.2. c.12.de jure b. & p* Sive ſi pecunia tua quocunq; modo alteri inſervire debet, ut in contractibus beneficis, neceſſe eſt, ut eam expendas & expendendo in alium transferas. Quâ tranſlatione ut ſimul dominium omne abdices, pecuniæ natura id importat. *Roſenth. c.4. §.7.* Si enim pecunia illa, ab eo, in quem confers, per uſum conſumatur, neceſſe eſt, ut ſimul dominium tuum directum re cõſumptâ intervertatur, in quo tamen omnis vis feudi vertitur. In cæteris rebus mobilibus, quamvis facilis illa & proclivis conſumptio ceſſet, militat tamen

tamen alia ratio quod ſc. res mobiles eam fertilitatem non præſtent, quæ ſumptibus ad ſervitia militaria expendendis æquivalens & proportionata ſit, tum etiam propter inſtabilitatem ſuam, quâ corruptioni proximè ſubjacent, non congruunt, tam gravi, quæ inter dominum & Vaſallum intercedit, obligationi. uti pulchrè habet *Dn. D. Stuv. Exerc.6 th.1.*

Th.2. Cæterum omnia quæ ſunt in hominum commercio & alienabilia, in feudum concedi poſſunt. *Borch.6. n.3.* Conſtituitur igitur feudum tam in rebus Eccleſiæ, quia non immediate ad cultum divinum ſpectant, ſed perſonarum Eccleſiaſticarum uſibus inſerviunt, ideoq; non omnino commercio hominum ſunt exemptæ, quid obſtat, ejusmodi res infeudare, cum capitali conſenſu & adhibitis ſolitis ſolennitatibus *Roſenth.c.4. §.18.* Tum in rebus ſecularibus. Quæ ſunt vel allodiales *vel* feudales. Allodiales omnino feudalem qualitatem admittunt, quando ſunt res immobiles, in quibus poteſt diſcerni proprietas & dominium utile. Sunt autem res immobiles, quæ naturâ ſua apta non ſunt ſitũ ſuum mutare deq; loco transferri, ſive ſint res ſoli, ut fundus, territorium. *2.F.1.* ſive ſolo cohærentes, ut caſtra, Aedificia. Huc refero ad hanc claſſem molendina, etiam ea quæ vocantur pneumatica die Windtmühlen in quibus venti ad molendum velut operarij conducti ſunt, & navalia ſeu aquis ſupernatantia die Schiffmühlen, quin in illis feudum proprium conſtitui poſsit, tentabo num exercitij cauſa defendere poſsim. Inſuper hic moneo. Quod cum reip. utilitas inde vertatur, molarum curam habere & proſpicere, ne pluribus exſtructîs molẽdinis, nemo rectè & cum commodo molam habere queat, principis partes ſunt, ex tam juxta cauſa libertatem naturalem, quæ alias cuiq; in aërem aliquid exſtruendi competit, reſtringere, ut ſine ejus permiſsu nemo molẽdinum pneumaticum in ſuo fundo erigat. *Dn. D. Struv. Exerc. 6. θ. 7. Modeſt. Piſt v. 1. conſ. 19. n. 13.* Et cum proprietatem fluminis ſibi vindicet ille, cujus territorium flumen lambit, poteſt ille utique prohibere, ne quis ſine ipſius ſuffragio & permiſsione molendinum navale in flumine publico ædificet. *Piſt. d.l.*

Th. 3. Sive ſint res propriæ, de quo nullum dubium. Cum enim feudi conſtitutio, ſit alienatio quædam, tunc ut actus ſubſiſtat, ſecundum intentionem contrahentium in re propria eſt conſtituendum. *l. 1. & ſeqq. C. de rebus alien. non alien. 2. F 3. pr. & §. 1.* Sive alienæ. Inhabitalitatem enim & defectum rei alienæ obligatio ad evictionem, quà concedens tenetur, ſupplet. *2. F. 8. Roſenth. c. 4* §. *11.* Non obſtante, quod feudum conſtituatur per benevolam conceſsionem & donationem *2. F. 23.* Quo caſu donator ad evictionem non adſtringitur *l. 2. C. de Evict. & per rationes quas ibi habet Perez. n. 9.*

Th. 4. Sive ſint res rebus immobilibus æquipollentes, ut ſunt res incorporales. Quæ quidem ut tales ſunt indifferentis naturæ, aſſumunt tamen qualitatem & conditionem ſubjecti illius cui inhærent. Huc refero jura in rebus immobilibus competentia. Sic poteſt jus quotannis fructus ex certo fundo percipiendi in feudum dari. *Roſenth. c. 4.* §. *2.* Pari ratione & annui reditus in feudum poſſunt alicui aſſignari. *Roſenth. c. 4.* § *5.* Inter hæc Jura familiam regalia ducunt. Sunt autem regalia nihil aliud, quàm plures facultates ſ. potentiæ, quæ ſi certo modo uniti, abſolvunt & conſtituunt integram majeſtatem, tanquam totum poteſtativum. Vocantur alias jura majeſtatis, per quæ majeſtas in actum ſecundum prodit & tanquam ſpiritus vitalis in rep. eſt efficax. Quando igitur ſummus princeps hæc jura majeſtatis per inveſtituram feudalem in alium confert, non hoc agit, ut ea privativè à ſe abdicet (hoc enim pacto ſe ipſum deſtrueret, nec haberet amplius majeſtatem ſuam ſalvam) ſed tantum per communicationem & ſubordinationem in Vaſallum derivat. Poſt quam communicationem vaſallus, ex. gr. Dux horum regalium uſuram & exercitium in ſuo territorio uſurpat jure ſuperioritatis territorialis, per quam parvam & analogam quandam majeſtatem repræſentat. *Quot porro regalium ſint ſpecies, quænam ad majora vel minora referantur, cum anno ſuperiore de hac ipſa materia ſub præſidio Excel. Dn. D. Suevij publicam diſputationem ſuſceperim, ſtylum hic ſuſpendam.* Hoc tantum monere juvat, quod jus venandi ad regalium claſſem non recenſeam: nec puto id ipſum injuſtum eſſe & ſubditis injuriam fieri,

quod

quod principes hodie hoc jus ſibi proprium faciunt, abq; eo ſubditos ſub pœnarum interminatione arcent. *Dn. D. Suev. Exerc 5. th. 9.*

Th. 5. Deducimus itaque in conventionem, & in feudum concedimus, non ſolum res allodiales & alia jura, de quibus jam diximus, ſed etiam ejusmodi res, quæ qualitate feudali jam ante ſunt affectæ. Quod fit tum à parte domini, tum à parte Vaſalli. A parte domini conventio rei feudalis celebratur, quando alicui puta Titio in feudo quod actu nunc ab alio, puta Cajo poſſidetur, jus ſuccendendi in caſum conſolidationis vel in eventum caducitatis uff den fall da ſolches Lehen verledigt werden ſolte vinculo fidei & obſequij promittit. Dicitur Expectativa, ſub ab expectando, quia ob conditionem, quæ in futurum tempus actum ſuſpendere ſolet, eum cui conceſſa eſt, caſum aperturæ expectare jubet. *tx. in c. 55.* Lehn R. Eine G-ding/ eine anwartung eines verladigten Lehens oder ein außgebeten Lehen. Cujus promiſsio & conceſsio etiam absq; conſenſu poſseſsoris vaſalli rata eſt. *2. F. 26. §. 2. Carpz. p. 2. c. 45. d. n.* Rationes hujus deciſionis affert. *Finck. diſſ. 7. th 10 C.* Hæc Expectativa eſt potius promiſsio de inveſtiendo quàm inveſtitura ipſa vel eſt conditionalis ſuccedendi conceſsio. Cùm per eam jus Vaſalli poſſeſsoris non imminuatur, ideoq; ut dominus ejus conſenſum in tali actu requirat, nulla urget ratio *2. F. 26. §. 2. Carpz. p 2. c. 45. d. 1. Finck. diſp f. 7. th. 10 C. arg l 8. de aq. & aq. pluv. arcend.* Ab adjuncto diſting. Expectativam in certã & in incertam. Illa dicitur eine anwartung an eines benahmten mannes Lehen. Hæc dicitur ein Irrlehen/ als ob ich ſpreche Ich leihe dir das Gutt/ das mir ledig wirdt/ es ſey viel oder wenig. Cujus conceſsio eſt vaga, nec ad certum poſſeſſoris inviduum directa. *Vid. Dn. D. Jerem. Reuſn. praeceptorem meum poſt fata ſua mihi colendum diſp. feud. 5. theſ. 43.* Expectativarum conceſsionem & impetrationem omni jure tã naturali, divino & civili valere & licitam eſſe defendere ſuſtinebo. Nec ſtabo à parte eorum, qui eas, tanquam mortis alienæ captationem, votum & deſiderium inducant, rejiciunt.

Th. 6. Q. An renovatio Inveſtituræ de feudo Vaſalli adhuc viventis factæ ſit neceſſaria, concedentis vel conceſsionarij perſona mutatâ. Neg. *cum Carpz. p. 2. c. 45. d. 10.* Q. 2. Si promiſſio Expectativæ à domino facta ſit, ad eum caſum, quo vaſallus poſſeſſor ſit deceſſurus ſine filijs, poſtmodum autem feudum domino ex alio caſu, puta propter feloniam vel refutationem aperiatur, an tunc dici poſsit conditionem Expectativæ extitiſſe, ad eum effectum, ut domino neceſsitas incumbat, feudum tradendi. *Neg. cum Carpz. p. 2. c. 45. d. 3. per rationes ibi.* Q. 3. An ex Inveſtitura de Expectativa factâ dominus ad præciſam rei feudalis traditionem teneatur, an verò præſtando id, quod intereſt, liberetur, ſi fortè dominum poſt exiſtentiam conditionis, promiſsionis ſuæ pænituerit. Aff. prius cum *H. Piſt. l. 2. q. 25. n. 22. Diſ. Carpz. p. 2. c. 45. d. 2.* Q. 4. An is qui fuit inveſtitus de feudo vaſalli adhuc viventis, poſt mortem ejus poſsit revocare feudũ, à poſſeſſore alienatum. Neg. Quia tamen dominus conſentiendo in alienationem in cauſa eſt, quo minus conditio exiſtere poterat, tenetur ad intereſſe. *H. Piſtor. l. 2. q. 28.*

Th. 7. A parte Vaſalli res feudalis in conventionem deducitur, quando feudum ſuum, quod à domino recognoſcit, alteri rurſus in feudum concedit, domino etiam non conſulto. *Roſenth. c. 9. §. 43. n. 1.* Qui actus dicitur infeudatio. Et tum ritè fit, ſi Vaſallus ſincerè & ſine fraude *2. F. 26. §. beneficium. 2.* ejuſdem conditionis perſonæ, *d. §. 2. F. 26. 2. F. 24.* 3. ſub eâdem lege & pacto, quibus ipſe feudum habet. *2. F. 24. §. profecto.* feudum ſuum communicat. *Roſenth. c. 9. §. 43.* Similitudo ſubvaſalli exigitur ratione habilitatis & aptitudinis ad ſervitia *2. F. 24. §. ſimiliter.* Modo non ſit potentior, & à quo difficilis reddatur ſervitiorum exactio. *Roſenth. c. 9. § 44.* Prior vaſallus jus ſuum non abdicat, ſed manet adhuc aliquod jus, in quo vinculũ, quod hactenus inter dominum & ipſum nexum fuit, ſuſtineatur. *Secus ac putat Iſernia.* Quippe Vaſallus ejusque hæredes adhuc manent domino obligati ad fidem & ſervitia, ac ſi infeudatio nunquam intervenisset. *2. F. 55. §. f. Dn. D. Suev. Exerc. 11. th. 1. §. ſubinfeud.* Nec abſurdi ſumus, ſi ſtatuimus diverſo reſpectu duos unius rei habere dominium directum & utile. Si

enim

enim Vaſallum referimus ad primum concedentem & autorem feudi, tunc nil niſi utile dominium habet. Si verò ad illum referimus, cui ſecundò feudum conceſsit, directum aliquod dominium habet, vel tale, quod directo dominio primi autoris æquipolleat & analogum ſit *2. F. 55. §. f.* Quod in eo conſiſtit, ut ſubvaſallus non dominum primum & mediatum, ſed immediatum nempe ſubinfeudantem recognoſcat *Vult. lib. 1. de feud 10. n. 84.* ei juramentum præſtet, & ab eo inveſtituram accipiat. *Vid. Roſenth. cap. 8 §. 10. cap. 9. §. 47. Dn. D. Suev. Exerc. 9. th. 7.* Ob reſolutum jus Utilis dominij ſuperioris, quod vaſallus habuit, reſolvitur dominium utile inferius, quod ad ſubvaſallum translatum erat. *1. F. 5. in f.* Quia hoc ab illo dependet. Neque dominus, neq; agnati quando ipſorum ſucceſsioni locus datur, cùm proprio jure veniant, tenentur, ſubinfeudationem ratam habere. *2. F. 39. Dn. D. Suev. de l. th. 8.*

Cap. V.

De modo Feuda primum conſtituendi.

Th. 1. Feudum conſtituendi & acquirendi duplex ratio in conſiderationem venit. Vel enim Feudum primum alicui conſtituitur, & quis primus id acquirit, vel per ſucceſsionem cuidam defertur. In priori acquirendi ratione diſt. promiſsionem feudi ab ipſa conſtitutione & acquiſitione *Vid. Roſent. c. 6. §. 1.* Promiſsio oritur ex facto aliquo, eoque non abſoluto, ſed obligatorio, quod eſt conventio quæ duas habet ſpecies, pactum & contractus. *l. 1. §. 3. l. 7. pr. ff. de pact.* Qui & qualis contractus feudalis ſit dictum ſupra *cap. 1. th. 4.* Hæc promiſsio non producit ipſum feudum, ſed tantum obligationem, quà cogi poteſt, is, qui promiſit, ut ſecundum conventionis modum feudum cõſtituat. Cùm igitur hæc obligatio in perſonis adhuc radicetur, rem ipſam nondum afficit vel ipſam feudalem facit. *arg. l. 136. §. 1. de V. O.* niſi aliud factum puta Inveſtitura accedat.

Th. 2. Quod ſi alicui res in teſtamento in eum finem, ut ſub feudi qualitate habeat, eſt promiſſa & legata, Legatarius actione ex teſtamento petet ab hærede inveſtituram. *arg. l. pen. pr. C. de*

de uſufr. Quamvis alias dominium ipſo jure ad legatarium tranſeat, ex eaque ratione rem legatam actione reali vindicare ipſi integrum ſit. *tx. l. 1. C. comm. de leg.* Ut autem legatario noſtro in præſenti caſu rei Vindicationem denegemus, facit, quod ad induendam rei alicui qualitatem feudalem non ſola defuncti ordinatio & diſpoſitio ſufficiat, ſed ſuper requiratur factum hæredis ſc. Inveſtitura *1. F. 25.*

Th. 4. Pecunia quæ ex feudo vendito comparatur, feudalis non eſt, Amplio. Licet inter agnatos ita convenerit, ut feudalis eſſe debeat. Amplio. 2. Quamvis ex hâc pecunia aliquod prædium ematur, hoc prædium nondum tamen feudale erit. Promiſsionem ſequitur ipſa feudi conſtitutio & acquiſitio, quæ fit vel expreſsâ conſtituentium voluntate, per Inveſtituram. Vel præſumpta per præſcriptionem. De quibus videbimus.

Cap. VI.
De Inveſtitura.

Th. 1. Inveſtitura eſt actus, per quem Dominus rei vel prædio qualitatem feudalem attribuit. *2. F. 8.* inque eo dominium utile cedit. *Arum. d. f. 5. th. 5.* atq; eo ipſo aliquis in vaſallum ſuſcipitur & inauguratur. *Struv. Exerc. 8. th. 1.* Eſt vel propria vel abuſiva Propria eſt, quæ fit proprio tradendi modo, quando dominus vaſallo per inductionem in fundum jus feudi & poſſeſsionem conſtituit. *Roſenth. c. 6. §. 2. n. 3.* Abuſiva eſt actus quo dominus ſigno vel ſymbolo aliquo interveniente, puta, ſceptro vexillo, annullo &c. ſolennitatis causâ jus feudi alicui quaſi cedit & in vaſallum eum recipit. *2. F. 2. pr.* Abſolvitur hæc Inveſtitura. 1 Ceſsione, repræſentativâ & impropria illâ traditione. Hæc peragitur, ſi dominus (præviâ declaratione voluntatis ſuæ, ſe præſentem hunc in Vaſallum ſuum aſſumere) per exhibitionem dictorum ſignorum jus & rem feudalem repræſentat. 2 *F. 2.* II. Teſtatione. *per tx. 2. F. 2. 2. F. 23.* Quæ fit vel inſtrumento, parium curiæ teſtimonio corroborato. *2. F. 2. 2. F. 58. § quod autem. Schneid. p. 4. n. 25.* Vel teſtibus. Teſtium habilitas cognoſcitur & ex quantitate & ex qualitate. Quantitas

tas deſcribit numerum, qui ad minimum in duobus conſiſtere debet individuis. 2. *F 58. §. 2. 1. F 26. §. ſi quis.* Qualitas in duobus requiſitis reſidet 1. ut ſint maſculi. Quia non nudæ probationis, ſed & ſolennitatis cauſâ intervenire teſtes debent 2. *F.* 32, quo caſu fœminæ ad teſtandum inhabiles ſunt. *arg. l. 20. § 6. qui teſt. fac poſ.* 2. Ut ſint Pares Curiæ. *2. F. 58. ſ. 1.* Quamvis in renovatione Veteris feudi nihil interſit, an pares Curiæ vel extranei adhibeantur *2. F. 32. in f. Vid. Dn. D. Suev. 7. th 6.* 3. Præſtatione juramenti fidelitatis. *2. F. 3. inf.* 2 *F. 4.* In quonam hæc fides conſiſtat, deſcribitur. 2. *F. 6. 7.* Quamvis hoc juramentum aliquem in conditionem ſubditi non ponat, ut domino ratione perſonæ ſuæ ſubjectus fiat; Nihilominus tamen ſuperioritas quædam & Jurisdictio feudalis ratione rei in feudum datæ inducitur. *Dn. D. Struv. Exerc 8. th. inf.* Poteſt etiam vaſallus procuratorem cõſtituere, dummodo ſpeciali mandato ſit inſtructus *H. Piſt. 2. q. 47. n. 88* qui ejus vice Inveſtituram ſuſcipiat & in ejus animam juret. 2. *F. 3. § 1.*

Th 2. Cæterùm Inveſtitura illa abuſiva, qua talis & quatenus in nudis repræſentationis terminis conſiſtit, vaſallo nihil aliud tribuit quàm jus ad rem, & inducit obligationem, qua dominus tenetur ad tradendum, vaſallus verò ad fidelitatem præſtandam *Roſenth. c. 6. §. 6. 1. F. 4.* Actus verò conſtitutionis & acquiſitionis perficitur, ſi dominus traditione poſſeſsionem & jus feudi transfert; vel ſi dominus patitur vaſallum poſseſsionem ingredi & rem occupare, quod loco traditionis eſt. *Jan ab Arced. concl. feud. 51. n. 10.* Quod verò alij dicunt Inveſtituram abuſivam intercedente aliquo ſymbolo, traditionis vicem ſubire & jus feudi transferre, ſalvâ ipſorum autoritate in ſententiam cõtrariam tranſire libet. Interim tamen non nego quod ea hunc effectum habeat, quod dominus per Inveſtituram hanc dominium utile cedat & Vaſallus poteſtatem acquirat rem feudalem ejusque vacuam poſſeſſionem apprehendendi vel occupandi. *H. Piſt. l 2. q. 25. n. 26. Roſenth. c 6. §. 6.*

Th. 3. Si domino & Vaſallo placet à communi natura feudi recedere atq; extra regulares terminos extrahere, liberum ipſis eſt, ſi nempe pacta & placita Inveſturæ adjiciunt. Dummo-

 do

do non ſint contra bonos mores & ſubſtantiam feudi evertant.
Ad probationem eorum pactorum erigitur ſcriptura aliqua Cujus interpretatio benignior ſemper ſumitur tam pro Vaſallo, quam pro domino, ſi forte obſcuritas quædam vel dubius ſenſus occurrit, ut per eam quantum fieri poteſt, unius cujusq; jus ſervetur ſalvum & quàm minimum à natura feudi receſſum intelligatur, niſi verba ſcripturæ expreſsè id evincant. *l 39. de pe-ctis l. 372. de R l. Struv. d. 8. th. 8.*

Th. 4. Inveſtitura alia fit purè, alia in diem vel ſub conditionem *1 F. 2. 1. F. 3. 2. F. 35.* utpote in eventum, quo feudum domino apertum fuerit. Wenn man einen eine anwartung auff eine Lehen giebt de quo ſupra dictum. Præterea Inveſtitura alia eſt ſingularis, alia ſimultanea. Hæc Saxonum moribus frequentata ac introducta, ac nihil aliud eſt; quàm actus quidam, quo dominus conſenſu Vaſalli vel ad ejus petitionem. Torg. Außſchr til. welcher geſtalt die agnatien. § iedoch. *Carpz Reſp. El. 75.*) alium ſub conditione fidei in Vaſallum ſuum aſſumit atque jus in feudo ſimultaneum cum alio commune impertitur, daß er ihn die mit belehnſchafft leibet. cujus virtute poſsit poſtmodum in eventum aperturæ ſuccedere, jus ſuum formatum exſerere atq; in actum ſecundum deducere. *Carpz. p. 2. c. 48. d. 8.*

Th. 6. Inveſtitura alia vera eſt, alia præſumpta. Hæc nititur titulo præſcriptionis, quando quis per 30. annos, quod jure feud. tempus longum vocatur, ab iſto die, quo primum & ſemel ſaltem domino ſervitia militaria præſtitit, ſub qualitate feudali poſſederit & poſſeſsionem ſine turbatione continuaverit, jus feudi ſibi acquirit. *2. F. 26. §. ſi quis Roſenth. c. 7. §. 77.* Quod ſpacium etiam in feudo Eccleſiaſtico ſufficit. *Dn. D. Suev. Exerc. 8. th. 8.* Quanquam multorum contradictioni me exponi ſciam, ſtatuam tamen, bonam fidem in hâc præſcriptione non requiri, cùm hic non favor & factum præſcribentis, ſed potius odium & negligentia domini, jus ſuum non perſequentis, attendatur *Frantz. Exerc 5. q. 7.* Patientia ſupplet locum tituli, & Inveſtituræ. Sicut alias ad præſcriptionem longiſsimi temporis titulus haud neceſſarius eſt. *Struv. Exerc. ad π. 35. th. 3.*

Th. 7.

Th. 6. Poſtremò Inveſtitura alia eſt nova, alia vetus. Illa eſt, quæ alicui de novo jus feudi in re aliqua confert. Hæc eſt quæ jus quæſitum denuo redintegrat & confirmat. *2. F. 32.* Ut diſtinctius hæc proponam, ita progrediar. Inveſtitura duo includit. 1. actum, quo dominus aliquem in ſuum vaſallum cooptat & jus feudi concedit. 2. Actum, quo Vaſallus per jurisjurandi religionem ſeſe ad fidem obſtringit. Quotiescunq; igitur mutatio in perſona unius vel alterius puta per mortem, alienationem, & diviſionem contingit, vis & operatio horum actuum ſimul intercidit. *Dn. D. Struv. Exerc. 10. th. 1.* Igitur ut novus vaſallus aliquo facto ſuo proprio novum dominum ejusque directum dominium agnoſcat, tenetur inveſtituram anteceſſoris in ſua perſona renovare, & juramentum fidelitatis, quod aliquid perſonaliſsimum eſt, *Roſenth c. 6. §. 35. n. 2.* in ſuam ipſius animam jurare: Ut per ejusm. ſolennitates aliqua reverentiæ & honoris recordatio inſtauretur. *Roſenth c. 6. concl. 29.*

Th. 7. Renovationis proceſſus ita peragitur, ille ad quem feudum antiquum devolvitur, petit à Domino Inveſtituram eâ quâ par eſt reverentia er muthet die lehen & quidem intra annum & diem à contingente mutatione, *2. F. 24* qui dies adjectus eſt, ne neceſsitas inveſtituram petendi præcisè anno includeretur, & eſt intelligendus civiliter, aliquid relaxationis continens, jure quidem feudali determinatus eſt per menſem. *2. F 22.* jure vero Sax. per 6. ſeptimanas & 3. dies, Dominus Inveſtituram, petentibus & fidelitatem offerentibus vaſallis denegare non poteſt. *Conſt. El. p. 2 c. 45. Carpz. ibid. d. 23.* adeo ut in eventum, quo dominus eſt in morá, vaſallus contra ipſum actione feudali nominata experiri poſsit. *Struv. Exerc. 10. th. 11.* Si vero dominus nihil tergiverſatur, ſed petitionem vaſalli ſupplicem admittit, tunc in teſtimonium ejus actus aliquod teſtatum conficitur, inveſtituram petitam eſſe. Er bekömt einen muth zettel. His peractis terminus ad renovationem Inveſt. denominatur, in quo contractus feudalis ſolenni Inveſtitura & præſtito juramento peragitur. Super quo ut Inſtrumentum ein Lehnbrieff erigatur, conſuetudinis eſt. *Vid. Dn. D. Suev. d. 7. th. ult.*

Th. 8. Ad cujus Inveſtituræ renovationem repetendam obſtricti etiam ſunt, ſub pœna amiſsionis, ij, qui jus tantùm cum alio commune vel ſimultaneum in feudo prætendunt. So offt die geſamme Hand durch abſterben des Lehnherrens oder beſitzers gebrochen wird, obrationes, quas ſuppeditare in promptu habemus. *Conſt. El. p. c. 45. ibid. Carpz. d. 17. 24. & 25.* Adeò ut ſi fratres uni ex ipſorum cõſortibus legitimè feudum vendãt vel ſi invicem dividant, opus habeant ſimultaneam Inveſtituram renovare, niſi juris ſui jacturam in ſucceſsione poſtea contingente ſuſtinere velint. *Carpz. p. 2. c. 45. d. 25.*

Th. 9. Si dominus demortuus plures numero poſt ſe reliquit hæredes, inveſtitura non à ſingulis ſeorſim, ſed ab omnibus collective ſumptis, prout omnes tanquam una perſona myſtica defuncti jus & ejus perſonam repræſentant, renovanda eſt, propter rem in feudum datam, quæ eſt numero res una *2. F. 55. §.* & *Carpz. p. 2. c. 45. d. 29.* Econtra, quando vaſallus plures ſucceſſores habet, quamvis feudum in commune poſsidere velint, omnes hæredes fidelitatem facere tenentùr, non ſolum conjunctim, collective ſ. repræſentativè, ſed diſtributivè & quilibet pro ſe. Adeò ut ſi unus ſucceſsorum ſolùm renovationem petierit, quod feudum quoad cæteros ſit quaſi apertum, & à caducitate non excuſetur *Roſenth. c. 6. §. 36. n. 11.* Sed num etiam ad ſervitia omnes erunt obligati? Reſp. Diſt. an ſint ſervitia divídua, & quilibet tantum pro rata obligatur. Vel Individua, ut quæ in faciendo conſiſtunt, & quilibet per ſe in ſolidum eſt obligatus, nec opponere poteſt exceptionem diviſionis ut cui in obligatione individua non eſt locus. *arg. l. 85. f. 2. de V. O.* Si tamen ſervitium ab uno fuerit præſtitum, cæteri liberantur. *l. 2. §. 2. de V. O. Frantz. p. 1. Reſ. 19. n. 38.* Id quod in omnibus actionibus rei perſecutorijs obtinet, ubi agentis intereſſe vertitur *Dn. D. Hahn in obſerv. ad Weſ. p. 1. p. 323.* Nec bona fides patitur, ut idem bis exigatur. *l. 57. & R. I.*

Cap. VII.
De ſucceſsione in feudum.

Th. 1.

Th. 1. Jus feudi ita à primo acquirente acquiſitum per ſucceſsionem juxta indolem juris f. devolvitur in deſcendentes *1. F.14.§.1.2.F.31.* Quamdiu regularem naturam feudi retinet, nulla diſpoſitio teſtamentaria vel aliud ſupremum elogium in eo locum ſibi vindicat. *1. F.8. in f.* propterea, quia jus Vaſalli quod in feudo habet limitatum, talem limitatum effectum producit.

Th. 2. A ſucceſsione feudali removeo aſcendentes. 2 Cognatos. 3. Filios adoptivos. 4. Illegitimè natos. 5. Clericos. 6. Mutos, cæcos, furioſos, ſive natura ſive ex accidente tali imperfectione affecti ſint, propter inhabilitatem excludo. *1. F. 6. ex ratione 2. F.36.* Poſtquam verò feudum ſemel acquiſiverunt, jus eorum multò firmius radicatum eſt, quàm ut ex ſuperveniente aliqua infirmitate à feudo excutiendi ſint. *Carpz. p.3. cap.38. d. 8.*

Th. 3. Succedunt verò deſcendentes, qui jus ſanguinis per traducem vel ſexum maſculinum propagant. *2. F. 11. 2. F. 50.* & quidem viritim in capita. *1 F.1. §.1.* Huc refero legitimatos per ſubſequens matrimonium. Amplio etiam in illis, qui ex deſponſatis geniti ſunt, quorum parentibus mors maturato funere obrepſit, quo minus ſolennitates canonicas conſummare potuerint. Tantum abeſt ut legitimatione opus habeant, ut potius ipſi ſint legitimi; & per conſequens ad ſucceſsionem admittendi. Suſtinebimus defendere cum *Dn. D. Richtero olim præcept. & hoſpite meo devenerando tr. de ſucceſ. ab Inteſt. ſect. 1. m 3. n. 10.* Secundi & ulterioris gradus liberi quoque ſive ſoli inter ſe extent ſive cum alijs concurrant, patruis ſc. perpetuo repræſentationis jure ſuccedunt in ſtirpes *N. 118.c.1.1. F. 8.*

Th. 4. In lineâ transverſâ veniunt fratres defuncti, tam cōſanguinei quàm germani, *2. F. 11. Carpz. p. 3. c. 29. d. 4.* Si ſoli ſunt in capita, ſi concurrant præmortuorum filij, in ſtirpes fit ſucceſsio *2. F. 11. N. 118. c. 3.* Quod etiam jure feud. Sax. verum eſt. *Conſt. El p.3 c 29. ibid. Carpz. d 1.3.3.5. & 16.* Quamvis alias eo jure, repræſentationis nulla ratio & reſpectus habeatur in lineâ collaterali. Sicut fratres, ita etiam fratrum filij ſi ſoli ſunt, in capita ſuccedunt *2. F. 1. Nov. 118. c. 3. §. ſed & ipſis,*

Th. 5. His ſingulis deficientibus collaterales reliqui defuncti vaſalli admittuntur in infinitum, ita tamen ut proximitatis ratio tam in lineis, quàm in gradibus, quod bene notandum, habeatur, ſecundum quam ſit omnis ſucceſsionis prærogativa. *H. Piſt. 2. q. 19. n. 16.* Ad modos, per quos alias jus in feudis ſuccedendi formatur, referre etiam lubet ſimultaneam Inveſtituram. Eſt quippe moribus Saxonum receptum, ut in ſucceſsione feudali, nemo, qui à latere venit, jus ſanguinis jactare poſsit, ſed quicunque in conjunctam manum eſt receptus, perinde ſuccedit, Et ſi plures ſunt, absq; reſpectu proximitatis omnes veniunt, niſi Inveſtituræ adjecta ſit cautio, ut ſucceſsio fieri debeat ſecundũ graduum prærogativam nach rechter Sipzahl. *Plura vide apud H. Piſt. 7. 27.*

Th. 6. Concludo hoc caput 2. quæſt. 1. Q. An fœmina ſemel excluſa per maſculum, ſemper excluſa maneat, an verò illo mortuo, non relictis hæredibus ad feudi ſucceſsionem admittatur. Aff. Quippe jus fœminæ per concurrentiam maſculi non extinguitur, ſed ſopitur vel ſuſpenditur. Exiſtentia enim maſculi id operatur ut ſucceſsio fœminæ in effectu non deferatur Ergo non debet ſine ipſius culpa vel facto hoc jus ipſi auferri. Sed quin poſt deficientes maſculos hoc jus tanquam remoto impedimento exſerere & actuare poſsit, non video, quid in contrarium allegari poſsit. *Vid. Excell. Dn. D. Suev accuratè hæc explicantem in Exerc. 6 th. 7.* 2. Q. An admiſſa ſemel fœmina ad ſucceſsionem feudi, poſtea nato maſculo id reſtituere teneatur. Neg.

Cap. VIII.
De Jure Vaſalli in feudo.

